



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Improbitas meretricia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

▲ Ob astutiam vero Pindarus adversus inimicos comparare se unumquemque monet *λόκοιο δίκας*, more Lupi: ad id scilicet respiciens, quod Lupus tortuosis ambagibus vestigia perplexa ponit modo hac, modo illac procurrens, ut non facile, qua te parte sit invasurus, aspicias.

RAPTOR. CAP. IV.

*Miles natus. Vita. Hieroglyphicorum.*

**B**ellicosus vero viris plerisque omnibus is natura mos insitus, ut convecrare juvet prædas, & vivere rapto, id quod etiam inter præcipua virtutum suarum præconia, magnificè atque gloriose admodum recensere solent. Unde furacem & raptorem hominem per Lupum ostendi, multi aptum & congruens existimant hieroglyphicum: quod quidem minime alienum est à veterum disciplina, eorum maximè Philoſophorum consensu, qui palingenesiam posuere, ut remotiorem doctrinam illam, quam ab Ægyptiis acceperant, novo commento hujusmodi fabularum involucris occultarent. Illi enim hominem, qui semper promptus & paratus fuisset ad rapinas, post obitum in Lupum abire tradiderunt, ut in Phædone Socrates: quæ tamen dictata Porphyrius & Jamblichus non sunt passi diutius in tenebris latitare: sed quid ea sibi vellent, latissimè omnia pandere curæ pretium habuere. Hos secutus Poëta Claudianus, prædones ait, ab Rhadamantho Lupis objici solitos: ridiculeque, ut asselet Aristoph. Simonem bonorum publicorum depeculatorem exprimi per Lupum à Nebulis jocatur. Et Lupi nomen in Divinis literis, ut observarunt Theologi, non secus ac Vulpeculæ, semper in mali cuiuspiam significatum accipitur. Ac cacoda mon est interdum Lupus, plerumque tamen raptor in Evangel. *Intrinsicus autem sunt Lupi rapaces*, Quod vero Jacob ait, *Benjamin Lupus rapax, mane capiet prædam, vespere autem reddet*, de Pauli conversione dictum & Eucherius & alii plerique putant.

IMPROBITAS MERETRICIA. CAP. V.

**E**t qui meretriciam improbitatem per Lupæ simulacrum significari contendunt, hieroglyphicum nimirum id à rapacitate desumptum autumant. Notum enim, meretrices Lupas appellari, & inde Lupanaria dici. Ea de causa Messalina, flagitiosum Imperatoris majestatis dedecus, Lycicæ nomen mentiri delectabatur, de qua Satyricus Poëta:

*Tunc nudo papillis.*

*Constitit auribus nomen mentita Lycicæ.*

Cicero in Miloniana, *Clodius semper secum scortæ, semper Lupas* dicebat.



Juvenalis.

FORMIDATOR INANIAM. CAP. VI.

**A**tque hoc tam bellicosum, tam noctivagum animal, minima quadam re, lapidis quippe alicujus audito tantum strepitu, terreri solet. Unde Sacerdotes Ægyptii, si quem vanis rumoribus & inanisi rei formidine consternatum indicare vellent, hieroglyphicum ex Lupo & saxi telo aliquo prope adscito facere consueverunt: ita enim est eorum ingenium, ut qui neque ferrum evitent, neque fustem tremiscant, lapidem tantum impendio perhorrescant, cujus ictum adeo perniciosum sentiunt, ut qua parte tacti fuerint, computrescant, vermibus quam ocyfime redditis. Quinetiam reperti sunt, qui vel duorum concussu lapidum strepidum cientes, ferocissimos à se Lupos abegerint. Nobis pueris narrare solebat Laurentius pater, homo minime vanus aut fabulosus, cum is ex Noricis Alpibus in Bellanensem agrum descenderet, via plurimum scrupulosa, sibi nocte prævento ad quintum ab urbe lapidem repente tres Lupos visendæ magnitudinis apparuisse, quos cum qua ratione summo veret secum agitaret, id sibi divinitus incidisse menti, ut dejecto in terram retinaculo, quo per noctem



Lupi strepidatio ex lapidum strepitu.

Pateris l. Pierii factum.

Equus